



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex
quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Meditationes in Passionem Et Resvrrrectionem D. N. Iesv Christi

Bruno, Vincenzo

Coloniae Agr., 1599

VD16 ZV 2606

Meditatio 15. Quomodo Christus ab Anna missus sit ad Caipham.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59870](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59870)



MEDITATIO DECIMAQVINTA.

QVOMODO CHRISTVS
*ab Anna missus sit ad
Caipham.*

EVANGELIVM.

Matt. 26.

Marc. 14.



IUNC tenentes Ie-
sum duxerunt ad Cai-
pham Principem Sa-
cerdotum, vbi Scri-
bae, & Seniores, &
Pharisaei conuenerant. Petrus autem
sequebatur a longe usque in atrium
Principis sacerdotum. Et ingressus
intro, sedebat cum ministris, ut vi-
deret finem. Princeps autem Sacer-
dotum, & omne concilium, quare-
bant falsum testimonium contra
Iesum, ut eum morti traderent, &
non inuenerunt, cum multi falsi te-
stes accessissent; non enim erat con-
uenient-

uenientia testimonia. Nouissimè autem venerunt duo falsi testes, & dixerunt. Quoniam nos audiuius eum dicentem; Ego dissoluam templum hoc manu factum, & post tri-
dium aliud non manu factum ædificabo. Et non erat conueniens testimonium illorū. Surgens ergo summus sacerdos interrogauit IESVM dicens: Non respondes quicquam ad ea, quæ obijciuntur ab his, IESVS autem tacebat, & nihil respondit.

FIGURAE.

P RINCIPES IZrael manda- 3. Reg. 21.
to Iezabelis, duos produxerunt
falsos testes, vt Naboth virum iustum
capitis damnarent.

PROPHETIÆ.

S VRGENTES testes iniqui. qua Psal. 34.
ignorabam, interrogabant me.

Os peccatoris, & os dolosi super me Psal. 108.
apertum est: Loquuti sunt aduersum me
lingua dolosa.

Ego redemi eos, & ipsi locuti sunt con- Osee 7.
trâ mendacia.

Factus sum tanquam homo nõ audiens, Psal. 37.
& non habens in ore suo redargutiones.

CONSIDERATIONES.

1. *Punctū.*

ANNAS Christum, tanquam mortuum dignum, mittit ad Caiphā summum Pontificem. Sequere anima mea vestigia sponsi tui, qui ut te sibi responderet, labores hos & dolores, tuo amore suscepit & sustinuit. Aspice lugubrem illam pompam, & vide quā inhumaniter, immō quā immaniter filij Diaboli ducant, aut potius trahant mansuetum IESUM. Erant in domo Caiphæ congregati Scribæ, Pharisei, & improbi Seniores, ardentes ira, superbia tumidi, inflammati invidia, in Saluatorem. Erat sanè concilium coactum in nomine Satanæ, ad effundendum innocentem sanguinem Christi: inter medios ipsos versabatur spiritus malignus, qui ad omne genus crudelitatis & immanitatis animos incitaret. Considera, cum iam accederet ad illos Christus, quā contemptim illum acceperint, quā terribilibus illum oculis aspexerint: quā gaudebant superbissima capita, cum viderent tam humilem & contemptū coram se consistere Dominum: nō dignabantur scilicet illum alloqui, nisi asperè & contumeliosè.

Considera, quemadmodū stet Deus

Ma-

DE PASSIONE DOM. 133

Maestatis, instar innocentis agni, in medio consilij malignantium, quasi inter immanissimos lupos: colligatis manibus, funem collo gestans, facie liuida & deformata ex accepta plaga, oculis terram modestè spectantibus, omni ex parte contumelijs & conuitijs appetitus. Quæ tametsi omnia mansuetissimus IESVS, humillimè & patientissimè ferret pro amore nostri, & cum siti auida bibendi amarum illum calicem: non potuit tamen tenerum & dulcissimum ipsius cor, quin, quanto erat ipse innocentior, tanto magis populi sui malitia & ingratitude, commoueretur & offenderetur.

Cùm vera contra Christum testimonia Iudeos deficerent, (quomodo enim in eo qui ipsa veritas erat, aliquid inuenirent falsitatis?) quærunt falsa. Cupiebant homines improbi Christum occidere, non quod in eo quicquam pœna dignum inuenissent, sed quod iam ante certum haberent illum de medio tollere, quærebant colorem, quo honestè suum scelus iustitiæ nomine obumbrarent. Vide hîc primò, quousq; procedat malitia peccatoris, quando vt suum improbum desiderium modò expleat, audeat vel ipsi Deo manum iniicere, optaretq;

que si posset, omnino Deum de mundo tollere. Secundò, quàm lōgè aliter Christus cū Iudæis, quàm ipsi cum illo egerint. Illi ardentes inuidia, post tanta ab eo beneficia, caussam quærunt, quillum occidant, ipse ardens amore, post tantas ab illis acceptas iniurias, iam cruci affixus, quærat caussas apud Patrem, quibus illos liberet, & ad salutem reuocet.

Vide vt se per seipsam defendat virtus & veritas. Etsi enim capitali odio Iudæi essent in Christum, non fuit tamen tanta quisquam audacia, (tanta erat innocentia & probitas in vita & moribus Christi) qui crimen auderet vllum obijcere, id quod non sine magno mysterio permisit Dominus: primò ad ipsorum inimicorum vtilitatem, vt agnoscetes nullam se damnandi illius caussam habere, suum errorem facilius cognoscerent, & ad meliora mentem conuerterent: deinde in vsum Ecclesiæ suæ, vt probata apertè eius innocentia, (vt de ipso Propheta prædixit: Quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit inuentus in ore eius) confirmaretur in fide, de illius diuinitate, de quæ mysterio mortis vltro pro nobis susceptæ.

Considera artes & superbiam Pontificis,

Isaia 5.

ficis, cum quærendis testimonijs parum proficeret, irata oratione tentat elicere aliquid à Christo, quod in calumniam vertat: ille verò tacet, nec respondet. Tacet benedictus I E S V S, primò, propter iustitiam, neque enim personæ, neque res quæ dicebantur, dignæ erant responsione. Deinde, propter misericordiam, ne hominibus in sua malitia obstinatis, occasionē grauius peccandi daret. Tertio propter sapientiam, præclarè enim nouerat, quicquid dixisset mox rapiendum ad calumniam, neque defensionis suæ quicquam loci futurum. Tacet etiam propter caritatem, quia enim venerat pro nobis pati, noluit excusationibus aut defensionibus uti; sed patienter ferre omne genus accusationis, despectus, vituperia, quæ nostra peccata meruerant. Tacet denique vt verus medicus, qui morbos, contraria adhibens remedia, depellit. Adamus enim iustè increpatus, excusauit se, & excusatione culpam auxit. Christus contra innocens accusatus tacet, nec se excusat, quòd idè fecit, vt sua innocentia & accusatione iniusta, expiaret Adami culpam: & suo silentio in accusatione pro eiusdè Adami excusatione satisfaceret.

COLLOQVIVM.

ROGABIS Christum D.N. vt quoniam voluit amore tui calumniam pati, tibi gratiam det, vt ambules semper coram ipso in veritate: neq; vnquam aduersus proximum aut loquendo aut iudicando, aliquam incurras falsitatem, quin potius ita sit tibi aliorum honor & existimatio cordi, vt tua ipsius. Contra, quæcunque de te secius dicantur aut fiant, cum patientia & humilitate ex ipsius amore perferas, agnoscent te dignum ob tua peccata, omni vituperio & reprehensione.

DOCUMENTA.

1. **Q**VI alios dignitate præcellunt, cõueniunt inter se de morte Christi: at turba & homines simplices eum sequuntur, & doctrinam eius amplectuntur. Vnde intelliges, quanta pericula, & ruinarũ occasiones sint in statu alto: contra, quanto homines humiles & simplices, maiori securitate & facilitate perueniendi ad salutem fruuntur.
2. Exemplo Christi patienter ferenda sunt calumnia, quæ falsò in nos dicuntur, sine vel defensione nostri, vel eius, qui falsa de nobis dicit, accusatione.

3. Si rectā esse volumus viam nostram coram Deo, negligenda sunt voces ignorantis vulgi, & maledicorum lingua, potius tacendo respondendum, & vincendum ferendo.

4. Falsos in Christum testes querunt, qui excusationes inveniunt, ne diuinis obtemperēt inspirationibus, aut ne officium faciant. Similiter qui studiosos virtutis & ad perfectionem aspirantes accusant & vituperant.

5. Cū à quopiam iracunda & turbulenta inuadimur accusatione aut obiurgatione, tacere praestat, quā excusare vel defendere. Eadē enim opera & iram hominis ardentis exstinguemus, & alijs erimus exemplo.

6. Cū falsò traducimur aut accusamur, solatio nobis sit exemplum Christi: cogitemus sententiam illius: Beati vos, *Matt. 5.* cū maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me. Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in caelo.

G 5

MEDF